

verò indulgentia concessa sit cum determinatione temporis præsertim brevis v. g. si concedatur indulgentia visitantibus Ecclesiam in festo ipsius dedicationis, vel infra ipsius octavâ, semel tantum obtineri poterit: quia illa determinatio indicat, quod summi Pontificis intentio sit concedendi unicam tantum indulgentiam. Videtur esse mens S. Th. in 4. dist. 20. Q. 1. A. 3. Q. lã. 2. ad 4. ubi ita distinguit: *quandoque ad determinatum tempus datur; ut cum dicitur: quicumque vadit ad Ecclesiam talem usque ad tale tempus habeat tantum de indulgentiâ, intelligitur semel tantum, sed si in aliqua Ecclesia sit indulgentia perennis, tunc quoties vadit aliquis, toties indulgentiam consequitur.*

DISPUTATIO XLI.

De Sacramento extremae Unctionis.

Multiplex in Ecclesia Dei est Unctio sacra in cap. un. de sacrâ Unct. lib. 1. tit. 1 § relata in ungitur enim summus Pontifex in capite, Episcopi in capite & manibus Chrismate, Sacerdotes oleo catechumenorum in manibus simul junctis, Imperatores & Reges oleo catechumenorum in brachio & humero dextero inunguntur, unctiones verò omnibus christianis communes sunt, quæ tum in Baptismo tum in confirmatione fiunt, postrema omnium est, quæ proximè sequitur ad Sacramentum pœnitentiæ velut quædam pœnitentiæ consummatio, & vocatur extrema Unctio, estque illa Unctio, quâ infirmus in extremis positus oleo per Episcopum benedicto sub certa verborum forma à Sacerdote inungitur, ad sublevandam animæ & corporis debilitatem; vocatur illa Unctio extrema: tum quia confertur homini in extremisposito, tum quia post omnes alias sacras Unctiones, quas in hac vita fideles

recipiunt, hæc ultimò datur, quandoque etiam appellatur Unctio infirmorum vel Sacramentum exuentium nempè ex hac vita.

QUESTIO I.

An extrema Unctio sit Sacramentum & quis auctor?

DICO I. *Extrema Unctio non est sacramentale sed Sacramentum.* S. Th in suppl. Q. 29. A. 1. O.

Est veritas fidei contra Hæreticos nostri temporis definita à Florent & Trid. Sess. 14. de extrema Unctione can. 1. *si quis dixerit extremam Unctionem non esse propriè & verè Sacramentum à Christo domino nostro institutum, & à B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum à Patribus, aut signum hominum Anathema sit, quæ Concilium pluribus explicat ibid. cap. 1. dicendo: instituta est autem hac sacra Unctio infirmorum tanquam verè & propriè Sacramentum novi testamenti à Christo domino nostro apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fideliter commendatum & promulgatum: infirmatur (inquit) quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesie & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei salvabit infirmum & alleviabit eum dominus & si in peccatis sit dimittentur ei, ex quibus verbis Apostoli tale formatur argumentum: signum sensibile stabiliter institutum à Christo ad significandam & causandam gratiam in recipiente est Sacramentum novæ legis, sed illa omnia inveniuntur in extrema Unctione: est enim 1. mo. signum sensibile & nempè Unctio cum certa verborum forma, quod indicatur illis verbis: *ungentes eum oleo in nomine Domini.* 2. do. est stabiliter institutum: quia Apostolus indeterminate absque restrictione ad certum tempus dixit. *infirmitur quis in vobis:* 3. tio. habet adjunctam promissio-*

missio-

D
missio
& oratio
minus
DIC
Christus
lus prom
nem &
habilior
Pro
ma Un
quam
dus,
nam
Pr
nis in
ciam
stus
pus a
surre
juxta
Sakra
cator
stitui
rum p
Ob
esse à
Christ
infirm
&
modu
quod
num
quod
Marci
lam sani

DE SACRAMENTO · EXTREMÆ UNCTIONIS. 393

missionem effectus gratiæ ut indicatur illis verbis :
Oratio fidei salvabit infirmum & alleviabit eum Dominus & si in peccatis sit, dimittentur ei.

DICO 2. *Alii dicunt, quod omnia Sacramenta Christus instituit per seipsum, sed quedam... Apostolus promulganda reservavit, sicut extremam Unctionem & Confirmationem, & hac opinio... videtur probabilior S. Th. in suppl. Q. 29. A. 3. O.*

Probatur 1. Ex Con Trid. quod agens de extrema Unctione nil aliud Apostolo Jacobo attribuit, quam illius promulgationem ; ergo vult sacra Synodus, quod ipse Christus non autem Jacobus extremam Unctionem instituerit immediatè.

Probatur 2. Ille Sacramentum extremæ Unctionis instituit, qui eidem annexit virtutem & efficaciam cauſandi gratiam sanctificantem ; atqui Christus solus hanc efficaciam dare potuit, ergo. Tempus autem hujus institutionis videtur fuisse post resurrectionem, ut videtur colligi ex eo, quod cum juxta Trid. hoc Sacramentum sit consummativum Sacramenti pœnitentiæ : tollit enim reliquias peccatorum, debuit post Sacramentum pœnitentiæ institui ; Sacramentum autem pœnitentiæ est institutum post Christi resurrectionem.

Obj. Trid. dicit : hoc Sacramentum insinuaturn esse à Marco Marci 6. ubi Apostoli ante passionem Christi nondum consecrati Sacerdotes inungebant infirmos.

R. Trid. intelligendum esse de insinuatione per modum figuræ & umbræ, quomodo dici potest, quod Baptismus Christi fuerit insinuaturn per Baptismum Joannis, qui fuit figura Baptismi Christi, quod indè colligitur : quod Unctio, de quâ Marcus Marci 6. loquitur, gratiam non produxerit, sed solum sanitatem corporalem ut enim textus loquitur

v. 13. *Ungebant oleo multos agros & sanabant, ideoque illa Unctio non fuit eadem cum Sacramento extremæ Unctionis, sed solum illius figura.*

Q. Quanta sit hujus Sacramenti necessitas.

R. Extrema unctio nec necessitate medii nec necessitate præcepti per se graviter obligantis est necessaria.

Ratio primi est: quia extrema Unctio non est medium necessarium ad æternam salutem: cum ordinariè in recipiente supponat habitualementem cum Deo conjunctionem per gratiam sanctificantem.

Ratio secundi est: quia illa verba Apostoli: infirmatur quis in vobis &c. non videntur strictum præceptum complecti, licet enim alia, quæ S. Jacobus ibidem asserit de ministro materia & forma hujus Sacramenti sint stricti juris & non tantum consilii, attamen quantum ad susceptionem dicit: inducat presbyteros Ecclesiæ, quæ verba monitionem & consilium tantum significant. Attamen sine justâ causâ, quæ rarò adesse potest, hoc Sacramentum in infirmitate periculosâ omittens à veniali peccato excusari non potest: quia valde utile medium ad superandas Dæmonis tentationes, ad morbi molestias patienter tolerandas negligeret. Sicut enim Christianus, qui imminente persecutione non curaret de recipienda confirmatione, haud dubiè peccaret, eò quod specialiter confirmatio sit à Christo instituta, ut fideles adversus Hostes fidei corroboraret, licet robur ad illam victoriam lege ordinariâ necessarium aliundè per accidens habere possit nempe per Eucharistiam, orationes, actus virtutum Theologicarum, eodem modo peccaret saltem leviter, qui urgente vitæ periculo negligeret recipere extremam Unctionem, quam novit institutam esse à Christo tanquam medium, quo datur Jus speciale ad auxilia, quibus infirmus indiget, ut pa-
zienti

*De
tienti a
tentatio
mit. De
divinum
mam U
ex conte
viter pec
qui hoc
acciper*

Quis

D

ex con

S. Th

Ex

Unctio

mentu

les, pe

in ægr

& dep

gatur i

primit

salvabi

Secu

peccato

lium,

privati

tiam ne

directè

mittunt

tem pro

ienti animo toleret morbi incommoda superetque tentationes, quibus Diabolus exeuntes actius premit. *Dixi per se: quia non est dubium, quin in jus divinum graviter peccet, qui verbo vel facto extremam Unctionem contemnit, ideoque juxtà omnes ex contemptu negligens extremam unctionem graviter peccat, sicut etiam gravis peccati reus esset, qui hoc Sacramentum cum gravi aliorum scandalo accipere negligeret.*

Q U Æ S T I O II.

Quis effectus Sacramenti extremae Unctionis & quæ Unctiones necessariae?

DICO I. *Principalis effectus hujus Sacramenti est remissio peccatorum quoad reliquias peccati, & ex consequenti etiam quoad culpam, si eam inveniat. S. Th. in suppl. Q. 30. A. 1. O.*

*Explicatur Conclusio: primarius effectus extremæ Unctionis est salvatio & alleviatio infirmi: id est: augmentum gratiæ habitualis habens annexas gratias actuales, per quas datur spirituale levamen & robur animi in ægitudine corporis, quod corrumpitur, aggravati & depressi tentationibus, ut assurgat in Deum, erigatur in spem & morbi incommoda leviùs ferat, exprimitur hic effectus illis verbis S. Jacobi. *Oratio fidei salvabit infirmum & alleviabit eum Dominus.**

Secundarius effectus hujus Sacramenti est remissio peccatorum non tantum venialium sed etiam mortalium, quæ propter susipientis oblivionem, sensuum privationem vel perturbationem similemque impotentiam non possunt Sacramento pœnitentiæ aliove medio directè vel indirectè remitti, quæ hoc Sacramento remittuntur quoad culpam & pœnam vel totam vel partem pro dispositione susipientis; est hic effectus secundarius

darius & quasi conditionatus ac exprimitur illis verbis
Apostoli: *si in peccatis sit dimittentur ei.*

Non obstat: quod hoc Sacramentum sit vivorum
& non mortuorum; quia per se primario non remittit
peccata sed secundario & per accidens, si inunctus sit
in peccatis, quæ Sacramento pœnitentiæ subjicere
non potuit ob morbi vehementiam.

Obj. Juxta Trid. Sacramentum extremæ Unctionis
non tam peccata, quam reliquias peccatorum abster-
git, sive peccata non quoad culpam sed quoad pœ-
nam relictam post culpam peccati remissam delet.

R. Nomine Reliquiarum vel intelligitur peccatum
irremissum relictum ex vehementia morbi &c. tunc
ejusmodi Reliquiarum peccati extinctio pertinet ad se-
cundarium effectum extremæ Unctionis, vel per pec-
cati Reliquias intelligitur torpor & dejectio animi,
acedia, pusillanimitas, diffidentia, pronitas ad terre-
na, difficultas ad cœlestia & hujusmodi miseræ, quæ
sunt relictæ tum ex peccato originali tum ex peccatis
personalibus, quibus fit, ut infirmus non habeat vi-
gorem ad actus vitæ spiritualis eliciendos, careat ro-
bore ad resistendum tentationibus Dæmonis calcaneo
infirmi tunc periculosè insidiantis, nec satis sit anima-
tus ad morbi molestias & incommoda æquamiter fe-
renda & harum reliquiarum remissio accensenda est
primario effectui hujus Sacramenti.

DICO 2. *Ex hoc Sacramento non sequitur semper
corporalis sanatio, sed quando expedit ad spiritualem sa-
nationem.* S. Th. l. c. A. 2. O.

Explicatur: alter secundarius effectus hujus Sacra-
menti est sanitas corporis & levamen morbi, qui effe-
ctus non confertur absolutè & semper sed interdum
tantum, quando id est conforme divinæ voluntati &
expediens salutem animæ decumbentis ut expressè docet
Concil. Trid. sess. 14. Cap. 2, & Florent.

Con-

Congruentia autem cur Christus huic Sacramento vim sanativam, ubi salutem animæ expedierit, annexam esse voluerit, esse potest, ne homines mortem terribilem valde metuentes humanisque remediis destituti ad illicita media confugiant & per ea vitæ prorogationem quarant.

Q. Quandonam hoc Sacramentum suum effectum producat?

R. Primarium uti & remissionem peccatorum producit in illo instanti, quo ultima Unctio & forma illi correspondens completur: tunc enim Sacramentum completur in ratione signi adæquati, adeoque infunditur gratia, & si quæ adsint peccata sine obice, remittuntur.

DICO 3. *Materia huius Sacramenti est oleum sanctificatum* S. Th. in suppl. Q. 20. A. 5. O.

Explicatur: dicitur 1. Oleum videlicet olivarum: quia hoc solum est oleum simpliciter dictum, unde oleum expressum ex nucibus, semine &c. manet exclusum, quia non est nisi similitudinariè & cum addito oleum. Dicitur 2. sanctificatum per benedictionem scilicet Episcopi, & quidem de necessitate Sacramenti, quia sancti Patres & Concilia æque requirunt Episcopalem benedictionem, quam substantiam olei olivarum, ergo sicut de necessitate Sacramenti est oleum, ita etiam de necessitate Sacramenti erit, ut sit benedictum ab Episcopo, sunt tamen, qui docent, sufficere benedictionem sacerdotalem dispensante summo Pontifice, eò quod Græci de facto ministrent hoc Sacramentum in oleo benedicto per simplicem sacerdotem non quidem authoritate propriâ sed ab Episcopis ipsis per antiquam consuetudinem tacitè delegatâ, ideoque dicunt sufficere benedictionem Episcopi sive per se sive per vicarium aut delegatum datam, si adsit consuetudo vel habeatur privilegium Apostolicum, benedictum autem esse

esse debet benedictione propriâ : quia per specialem benedictionem Episcopi oleum deputatur, ut sit potius materia Sacramenti Unctionis quam confirmationis, adeoque juxtâ plures invalidum foret Sacramentum si quis ad inungendum infirmum pro oleo infirmorum ad hunc effectum specialiter benedicto adhiberet chrismâ, in quo majori ex parte est oleum vel inungeret oleo catechumenorum, vel oleo quocunque ad hunc effectum non benedicto, quidquid sit, hoc certum est, quod extrâ casum necessitatis nunquam liceat alio oleo quam infirmorum uti : quia Sacramentum exponeretur periculo nullitatis. Porro ad valorem Sacramenti non requiritur, quod sit oleum benedictum eodem anno, ut sacri Canones volunt, nec requiritur major quantitas quam sufficiat ut infirmus vetè unctus denominari possit.

Cur autem in hoc Sacramento benedictio materiae requiratur, triplicem assignat S Th. loc. cit. rationem; prima est quia omnis efficacia Sacramentorum à Christo descendit & ideo Sacramenta illa, quibus ipse est usus, habent efficaciam ex ipso usu suo, sicut tactu sua carnis vim regenerativam contulit aquis; sed hoc Sacramento non est usus, nec aliquâ corporali unctione; & ideo in omnibus unctionibus requiritur sanctificatio materiae. Secunda causa est propter plenitudinem gratiae, quae confertur non solum, ut tollat culpam sed etiam reliquias & infirmitatem corporis. Tertia est ex hoc, quod effectus ejus corporalis, scilicet sanatio corporalis non causatur ex materia naturali proprietate, & ideo oportet, quod hac efficacia sibi per sanctificationem detur.

DICO 4. Unctio Sacramentalis debet fieri in illis partibus tantum, in quibus est radix spiritualis infirmitatis. S. Th. in suppl. Q. 32. A. 5. O

Explicatur Conclusio : materia proxima extremae unctio-

unctio
nempe
de quo
Q. 32.
necessit
bus nor
Sacram
actione
unctio
yam.
2.
sis co
que s
const
cum
modi
cator
memi
Sacram
quinq
bus ex
da est
etiam
manus
oleo in
vel extr
tum us
ad valo
quâ cur
mulgat
mentio
per qui
minata
formæ p
organau
III. Pa

unctionis est unctio facta in quinque organis sensuum nempe oculis, auribus, naribus, ore, & manibus de quorum membrorum unctioe inquit S. D. hic Q. 32. A. 6. quod ab omnibus observetur, quasi de necessitate Sacramenti, aliæ verò unctioes ab omnibus non servantur. Primo igitur est unctio: quia hoc Sacramentum non consistit in re permanente, sed in actione transeunte significatâ per formam; sed hæc est unctio significans gratiam Spiritus sancti corroborativam, quâ anima ægrotantis invisibiliter inungitur.

2. Fit hæc unctio non in toto corpore sed in diversis corporis partibus & membris videl. organis quinque sensuum oculis, naribus, auribus ore & manibus, ut constat ex universalis usu Ecclesiæ. cuius hæc est ratio: cum Sacramentum extremæ unctiois adhibeatur per modum curationis spiritualis ad tollendas reliquias peccatorum, ideo sicut medicina corporalis applicatur membris corporalibus, ubi est origo mali, ita hujus Sacramenti medicina spiritualis applicatur organis quinque sensuum, unde omnia peccata oriuntur, quibus ex præscripto quarundam Ecclesiarum superaddenda est unctio pectoris, renum & pedum, Episcopis etiam & Sacerdotibus, licet jam ante inunctæ sint manus, nihilominus in collatione hujus Sacramenti oleo infirmorum manus ungendæ sunt vel intrinsecus vel extrinsecus secundum cujuslibet Ecclesiæ approbatum usum. Quamvis autem multi doceant sufficere ad valorem Sacramenti unicam unctioem in aliquâ quâcunque parte corporis, eò quod S. Jacobus promulgator hujus Sacramenti Unctiois unius tantum mentionem faciat, in praxi tamen est adhibenda semper quina Unctio per modum Crucis, & quidem geminata cum duplici formatione Crucis & unâ partiali formæ pronuntiatione, ubi idem sensus duo habet organa ut oculorum, narium, aurium, manuum in casu

verò necessitatis, cum melius sit conferre dubium Sacramentum quam nullum, sufficit ungere unum oculum, aurem, narem vel manum, vel si necessitas non permittat, quamcunque partem corporis cum sensus tactus sit diffusus per totum corpus pronuntiata simul una forma complectente omnes quinque sensus, quæ unica Unctio, si necessitas permittat melius fit in capite quam alia parte corporis, cum in capite locata sint omnia sensuum organa, in hominibus mutilatis Unctio fieri debet in partibus quæ viciniores sunt sensuum Organis, quibus carent, quamvis enim per huiusmodi organa peccare non potuerint, potuerunt tamen appetere actus noxios, qui per illa membra exercentur.

DICO 5. *Forma huius Sacramenti est oratio deprecativa S. Th. in suppl. Q. 29. A. 8. O.*

Probatur: illa est forma Sacramenti extremæ Unctionis, quam Christus instituit & S. Jacobus promulgavit; atqui non indicativam aut imperativam, sed tantum deprecativam formam Christus instituit & S. Jacobus promulgavit ut patet ex illis verbis. Orem super eum & oratio fidei salvabit infirmum. Cuius ratio (inquit S. Th. loc. cit) multiplex assignatur; primò quia suscipiens Sacramentum hoc est viribus propriis destitutus, unde indiget orationibus sublevari. Secundò quia datur exeuntibus, qui jam desinunt esse de foro Ecclesie, & in solius Dei manu requiescunt, unde & ei per orationem committuntur. Tertio quia hoc Sacramentum non habet aliquem effectum qui semper ex operatione ministri consequatur, omnibus quæ sunt de essentia Sacramenti, etiam ritè peractis; ex quibus patet, quod congrua sit hæc Ecclesie Romanæ forma, quæ hoc Sacramentum confertur: per istam sanctam Unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per vi-

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS, 401
sum &c. Exprimendo similiter alia membra in
quâ formâ

1. Ad valorem Sacramenti requiritur expressio
quinque sensuum; sicut enim ipsa materia non in quali-
cunque sed in unctione factâ secundum quinque sensus
consistit, ita etiam talis unctio per formam significari
debet.

2. Illæ particulæ: sanctam, piissimam misericor-
diam suam & invocatio Ss. Trinitatis non sunt de ne-
cessitate Sacramenti: quia sine illis essentialis signifi-
catio Sacramenti sufficienter habetur, imò juxtâ ali-
quos ad essentiam sufficerent illa verba: indulgeat tibi
Dominus quidquid deliquisti per vitium: quia signifi-
cant Sacramenti effectum, causam principalem &
subjectum vel personam, cui remissio peccatorum
impenditur, certius est: prædicta absque gravi pecca-
to omitti non posse, licet enim non sint omnia de va-
lore, sunt tamen de præcepto.

Obj. Forma debet significare effectum Sacramenti,
sed forma deprecativa non significat effectum Sacra-
menti, sed eundem petit, indicativa verò eundem sig-
nificat; deinde quædam Ecclesiæ utuntur hâc formâ:
tingo hos oculos oleo sanctificato in nomine Patris &
Filii & Spiritûs sancti.

R. ad 1. Negando mi. Licet enim effectus Sacra-
menti per formam deprecativam petatur, quia tamen
ex institutione Christi petitio illa habet efficaciam, si-
mul illum effectum significat.

Ad 2. respondet S. Th. loc. cit. ad 3. *Dicendum,*
quod verba illa indicativi modi, quæ secundum morem
quorundam præmittuntur orationi, non sunt forma
hujus Sacramenti, sed sunt dispositio ad formam, in-
quantum intentio ministri determinatur ad actum illum
per illa verba.

Q. Cum sint quinque Unctiones & quinque for-

mæ illis correspondentes in hoc Sacramento, an etiam quinque sint Sacramenta, uti in Sacramento Ordinis quot sunt ordinationes tot sunt ordines?

R. Cum S. Th. in suppl. 3. p. Q. 29. A. 2. Quod licet sint diversæ Uñctiones correspondentes diversis organæ sensuum, hæc tamen omnes ad unam & perfectam significationem ordinantur, & requiruntur ad perfectionem Sacramenti.

Q U Æ S T I O III.

Quis Sacerdos possit & quis debeat hoc Sacramentum conferre?

DICO. Hoc Sacramentum non est necessitatis Sacramentum. . . undè non ita committitur dispensatio ejus omnibus, in articulo necessitatis, sed solum illis, quibus ex officio competit S. Th. in suppl. Q. 31. A. 2. ad 2. Sive solis Sacerdotibus competit hoc Sacramentum conferre iis, quorum curam gerunt.

Prima Pars constat ex Trident. sess. 14. de Sacramento extremæ Uñctionis Can. 4. *Si quis dixerit presbyteros Ecclesie, quos S. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed etate seniores ob idque proprium extrema uñctionis ministrum non esse solum Sacerdotem anathema sit.*

Secunda Pars inde patet: quod conferre Sacramentum sit officium pastoris, qualis non est nisi ordinariam vel delegatam jurisdictionem habens, undè quamvis validè quilibet Sacerdos hoc Sacramentum administret, graviter tamen peccat, qui sine expressâ vel tacitâ Parochi licentiâ, qui sit proprius Parochus infirmi hoc Sacramentum conferret, & quidem si esset Religiosus, incurreret excommunicationem juxtâ Clement. 1. de privileg. Est etiam Parochus obligatus sub mortali admi-

mini
bilitate
exjusti
lature
postren
An a
morbo
Sacram
trover
tis; f
rochu
tenet
speci
utilia
ut m
essen
si Pa
pulo
clesia
S. Ca
Medi
Uñct
neces
Sakra
non v
dum
Q.
jus Sac
teros:
R.
crame
vis jux
adduc
sitatis
posset &

ministrare hoc Sacramentum suis subditis rationaliter id petentibus : quia ratione sui officii pastoralis ex iustitia obligatur suis ovibus ministrare remedia pro salute ipsarum à Christo instituta & relicta, inter quæ postremum non est hoc Sacramentum ;

An autem Parochus teneatur suis Parochianis aliquo morbo contagioso laborantibus v.g. tempore Pestis Sacramentum extremæ Unctionis administrare, controversatur : cum hoc Sacramentum non sit necessitatis ; sententiæ affirmatiuæ fundamentum est, quia Parochus ex officio atque ita ex iustitiâ cum suo periculo tenetur Parochianis suis ministrare non tantum ea, quæ specialiter sunt necessaria sed etiam quæ sunt valde utilia, & secundum quid necessaria. 2. fieri potest ut multi salventur accepto hoc Sacramento, qui alioquin essent damnandi 3. quia magnum oritur scandalum, si Parochi tempore contagionis hæc Sacramenta populo denegarent. 4. pro hac sententia stat praxis Ecclesiæ & probat exemplum Pastorum timoratorum ut S. Caroli Borromæi qui Cardinalis & Archi-Episcopus Mediolanensibus non tantum Sacramentum extremæ Unctionis sed etiam confirmationis, cuius minor est necessitas, administravit, nihilominus si infirmus Sacramento pœnitentiæ & Eucharistiæ sit præmunitus non videtur Parochus esse obligatus ad administrandum hoc Sacramentum cum periculo mortis.

Q. An unus vel plures Sacerdotes sint ministri huius Sacramenti : cum S. Jacobus dicat : inducat presbyteros ?

R. Esse unicam Sacerdotem ministrum huius Sacramenti, qui applicet materiam & formam, quamvis juxta praxin Ecclesiæ plures Sacerdotes & Clerici adducantur, qui pro infirmo orent, in casu necessitatis si sacerdos deficeret in absolvendis Unctionibus, posset & deberet alius Sacerdos reliquas omittas

Unctiones supplere, uti sacrificium missæ inceptum deficiente Sacerdote ab alio continuari & perfici debet. Hujus ratio est: quia illæ actiones inter se non habent nisi unitatem Ordinis, ideo non requiritur stricta unitas ministri, maximè cum in pluralitate ministrorum verba suam integram & essentialem significationem retineant, non posset tamen unus Sacerdos inungere & alter formam pronuntiare.

QUÆSTIO IV.

Quibus hoc Sacramentum debeat conferri?

DICO. *Hoc Sacramentum. a. illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui sunt in statu exeuntium. S. Th. in suppl. Q. 32. A. 2. O.*

Probatum: ultimum remedium, quo homines in gravissimo mortis periculo juventur & ad introitum gloriæ disponantur, solis periculosè infirmis exhiberi debet; tale autem est Sacramentum extremæ Unctionis, quod vocatur Sacramentum exeuntium ut declarat Trident. sess. 14. de extrem. unct. Cap. 3. his verbis: declaratur etiam esse hanc Unctionem infirmis adhibendam illis verò præsertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc Unctionem convalescerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint.

Ex quibus inferitur, quod subjectum hujus Sacramenti sit solus homo baptizatus viator, adultus, infirmus periculosè, de quo præsumi potest, quod aliquando personaliter peccaverit; *Dicitur 1. Baptizatus viator: quia Baptismus est janua omnium Sacramentorum & Sacramenta pro solis viatoribus sunt instituta. Dicitur 2. Adultus talis videlicet, qui aliquando habuit usum rationis & liberi arbitrii: licet de*

de facto illo careat v.g. furiosus, qui ante furorem fuit
 usus ratione *Dicitur 3.* Infirmus id est laborans morbo,
 ex quo periculum mortis timetur, quamvis non
 sit necessariò expectandus supremus mortis articulus,
 & multò consultius sit, atque ad percipiendum fru-
 ctum hujus Sacramenti utilius, integris sensibus hoc
 Sacramentum recipere; durante tamen eodem morbo
 & statu morbi hoc Sacramentum reiterari non po-
 test: quia durante eodem morbo continuatur practi-
 ca significatio hujus Sacramenti, ideoque frustra re-
 iteraretur, si verò fiat variatio status, ita ut morbus
 de periculoso mutetur in non periculosum, & ex isto
 rursus in periculosum Sacramentum hoc iterum susci-
 pi potest cum nova significatione practica ad superan-
 das instantes mortis angustias; ex defectu hujus con-
 ditionis Sacramentum hoc recipi non potest à sanis
 v.g. ad bellum proficiscentibus, navigantibus, ulti-
 mo supplicio afficiendis; bene tamen à senibus etiam
 non ægrotis præ senectute morituris, quia senectus ip-
 sa est morbus & virium defectus in senibus gravis est
 infirmitas, illis igitur accenseri possunt de quibus
 Apostolus: *infirmatur quis in vobis*, e contra adulti
 quibus imminet vitæ periculum, si ægroti non sint,
 inter eos numerari nequeunt, quos infirmorum no-
 mine intelligit Apostolus, ac proinde Sacramentum
 extremæ Unctionis eisdem conferri non potest. *Dici-
 tur 4* de quo præsumi potest &c. quia extrema
 Unctio tanquam consummativa pœnitentiæ præsup-
 ponit capacitatem Sacramenti pœnitentiæ & primarius
 effectus hujus Sacramenti est tollere reliquias peccato-
 rum, ubi autem nullum fuit unquam peccatum per-
 sonale, non est capacitas recipiendi Sacramentum ex-
 tremæ Unctionis, ex quo capite hoc Sacramentum
 conferri non potest pueris, qui ad annos discretionis
 nondum pervenerunt, ut peccare potuerint, si verò

peccare potuerunt, etiam ante decimum annum hoc Sacramentum conferendum est. Neque conferri debet perpetuo amentibus, & Beatissima Virgo, sicut ob extrinsecam impeccabilitatem fuit incapax Sacramenti poenitentiae, ita etiam hujus Sacramenti recipiendi non fuit capax.

DISPUTATIO XLII.

De Sacramento Ordinis.

PRætermisissis aliis acceptionibus, ordo in præsentibus dupliciter accipitur passivè & activè, ordo passivè sumitur pro potestate & gradu certo Clericorum ad specialia officia Ecclesiastica deputatorum & consecratorum, quo sensu dicitur aliquis habere ordinem Presbyteratus vel Diaconatus. Ordo activè sumitur pro ipsâ ordinatione vel consecratione, quæ est Sacra quædam Cæremonia, quâ alicui potestas peculiari traditur ad munia Ecclesiastica ritè obeunda, ordo activè sumptus est Sacramentum ab aliis peculiariter distinctum in hoc, quod per quinque priora Sacramenta homo in seipso perficiatur, per duò posteriora vero nempe ordinem & matrimonium homo perficiatur in ordine ad totam communitatem.

QUÆSTIO I.

De distinctione, numero, essentia ordinum & an tonsura sit Sacramentum?

DICO 1. Cum in susceptione ordinis quædam consecratio homini exhibeatur per visibilia signa, constat ordinem esse Sacramentum. S. Th. in suppl. Q. 34 a. 3. O.

Explicatur & probatur Conclusio: Ut ordo sit Sacramentum novæ legis requiritur 1. ut sit Cæremonia Sacra externa & sensibilis. 2. Ut sit constans & perpetua. 3. Gratiam conferens. 4. à Christo instituta; sed hæc inveniuntur in ordinatione
ut